 I

Syllabus Orationes

1623. Joannis Bapt. Andriani ad Urbanum VIII — 1623. 1.
1645. Thomae Ancorelli ad Innoc: X. — 1645 2.
1644. Gabrielis Berti ad Urbanum VIII — 1644. 3.
1642. Ludovici Bompeiani ad Urbanum VIII — 1642. 4.
1653. Caroli Bovy ad Innoc. X. — 1652. 5.
1633. Francisci Brunij ad Urbanum VIII — 1633. 6.
~~[illegible]~~
1632. Oddonis de Comitibus ad Urbanum VIII — 1632. 8. 7.
1640. Caroli Francisci DeLuca ad Innoc. X. — 1640. 9. 8.
1638. Joannis Pauli Fernezy ad Urbanum VIII — 1638. 10. 9.
1623. Joannis Bapt. Ferrary ad Urbanum VIII — 1623. 11. 10.
1625. Tarquiny Galluzy ad Urbanum VIII — 1625. 12. 11.
1637. Joannis Bapt. Giattini ad Urbanum VIII — 1637. 14. 12
1631. Horaty Gratty ad Urbanum VIII — 1631. 15. 13
1624. Vincenty Guinity ad Urbanum VIII — 1624. 16. 14
1634. Jacobi Lampugnani ad Urbanum VIII — 1634. 17. 15
1639. Alberti Moroni ad Urbanum VIII — 1639. 18. 16.
1648. Josephi Mariae Requeseny ad Innocentium X. — 1648. 19. 17.
1635. Hieronymi Savignani, ad Urbanum VIII — 1635. 20. 18.
1626. Fabij Ambrosy Spinulae, ad Urbanum VIII — 1626. 21. 19
1647. Ferdinandi Ximenes, ad Innoc. X. — 1647. 22. 20

[illegible] 23. 24. 25. 26. 31. 32. 33. 34. 35. 37. 38. 39. 42. 43. 44. 45. 47. 48

(Separatamente) 1595 2a Ed.e 1612. 1627. 1633 colla 4a riga del frontispizio sbagliata. 1637 collo Stemma nel frontispizio malamente collocato. 1641. 49. 53.
Nè altre ne esistono nella Biblioteca del Coll.o

DE CHRISTI MORTE

ORATIO

P. IO: FRANCISCI CARETTONII
Romani, è Societate IESV.

Habita in Sacello Pontificio, die Parasceues. Anno M. D. XCV.

Ab eo, quo inscio prodierat, nunc primum [à] quibus purgata erroribus, qui variarum licentia impressionū irrepserant.

ASCANIO COLVMNÆ CARD.

IVLIVS CAESAR Stella dicauit.



ROMÆ, Ex Typographia Gabiana. *1595.*

Postea vero Perusiæ, Typis Aloysiorū 1619.
Facta à Superioribus potestate.

ASCANIO COLVMNAE CARDINALI.

Iulius Cæſar Stella S. P. D.



EBEO tibi ASCANI Cardinalis Ampliſſ. quem ducem, atque autorem habui ad audiendum P. Io:Franciſcum Carettonium. Nunquam memini maiore me cum voluptate, ac lucro ſemihoram vllam poſuiſſe. Vibrabant profectò fulmina illa orationis conciſæ, grauis, plenæ ſucci, conſentaneæ tempori, loco, perſonis. dicentis actio motum addere, ſanguinemque verbis infundere videbatur: quæ vtinam typis repræſentari poſſent: haberemus orationem ſpirantem, ardentem, animoſque legentium pene ex corporibus rapientem. Ego ne cupiditati tuæ deeſſem Princeps Illuſtriſſ. cui me, meaque dedidi, dicaui, addixi omnia, ne Cardinales, qui huius orationis videndæ maximo deſiderio tenebantur, ſpe, quam ex tuis verbis conceperant, fraudarem; ſuſcepi non conſulto autore, ac facile, cum reſciuerit, reclamaturo, laborē hunc curandi, vt emitteretur in lucem: quod mihi quidem ſatis commode cadit hoc tempore, quo ad Aloyſium Carafam Sororis tuæ F. Dei gratia Sablonetæ Ducem, & Oſtiliani Principē ab illo honorifice, & peramanter inuitatus, à te iuſſus Neapolim abeo; vt in hoc diſceſſu relinquam Amplitudini Tuę mnemoſinon aliquod mei. Tuū verò nunc erit, vt mihi ab autore veniam impetres, ſi, vt tibi placeam, cæteriſque Cardinalibus, ac doctis viris, hoc illi diſpliceam, cui æque aueo placere, atque vniuerſis. Vale ex Aedibus Idibus Maij M. D. XCV.

DE

DE CHRISTI MORTE

ORATIO P. IO:FRANCISCI CARETTONII

Romani è Societate IESV.

Habita in Sacello Pontificio, die Parasceues Anno M. D. XCV.

RECONDITVM est, incomprehensum, & omni ex parte diuinum, P. B. sacrosanctum reparationis humanæ mysterium: cui nos hodierna luce, ne dicam hodiernis tenebris, persoluimus tributum annuũ commiserationis, & lachrymarum. idcirco humana mens, dum se eius amplitudini parẽ intelligẽtiã, vel sensum afferre posse desperat; nõ affert illũ ipsum, quẽ potest, & in studio grati animi apparet ingrata. eandẽ ob causã si exoritur miseratio ex cognita calamitate hominis miseri calamitatẽ immerentis; nullũ erit argumentũ accõmodatius ad hanc anniuersariam lamentationem; quàm si breui, simplicique percursione facti, planũ fecero, Christũ dominũ fuisse, vt Isaias eũ appellat propter excellentiam, VIRVM DOLORVM, quasi dolorũ principem, Regem dolorum: hoc est inter mortales calamitosissimum: & eos innocentem subijsse corporis, animique cruciatus; quos ab vno homine perferri potuisse idcirco credimus; quia ipse pertulit. Quod enim, vt exordiar in hortis Gethsemani, erit illud opus, cuius sanguinea est vel idea? quale tam inauditum tormenti genus, quod eliciat sola cogitatione sanguinem: quod noua quadam ratione, nõ animum per corpus, sed corpus vulneret per animum: quod cædem membris inferendam prius adumbret, & quasi experiatur in animo: quod antequam admoueatur exanimet: & morte valentius; solum, nudumque hauriat Christi cruorem, hauriat animum: quod mors efficere nunquam potuit; sine armis, sine cohorte. Architectum habet infamem. Diabolum. Fabrum infamem. hospitem Satanæ. Iudas magistro venalem in mercem exposito, negotium proditione instituit, osculo perficit, amoris armis abusus: quippe qui nouerat gratum amanti cibum, eoque venenum occultat. sed recidit in eius caput. is paulo ante pectori pro intincto pane, quasi tormentarium puluerem inclusisset, ei cuniculo facem applicuit, cum ori suo Christi faciem deosculandam admouit: neque ita multo post igne ad intestina perlato, multiplicatis in arcto flammis quærentibus exitum, sublatus est in altum, & discerptus in partes: nactus carnificem nequissimum, laqueo se ipse suspendit, crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. dignus plane,

cui non aqua tantum, & igni; sed ipso communi spiritu, ipsa terra interdiceretur: quæ terra, vt dicitur non amplius recipere viuum serpentem, postquam percussit hominem; ita neque spirantem ferre, neque extinctum attingere voluit hunc hominis, eiusdemque Dei proditorem. Christus vero nec vulnus, nec speciem quamuis insidiosam amoris auersatus, hostes admisit: quos, vt prosterneret, sic protereret solo pronomine. *Ego sum.* quasi sola nominis vmbra potuisset. Illustris, quod potuerit: illustrior, quod noluerit. Ab his per varia tribunalia circumducitur, quando vnum capere tantam iniustitiam non poterat: neque inueniebat locum, vbi consisteret summa iniquitas, nisi forte apud Summum principem Sacerdotum, apud quem iustitię debuit esse principatus. Sistitur ante Caipham, ante hostem potius, quam ante iudicem: qui vt scelus artificiose contexat, vestimenta discindit: per quem reus prius coniectus in vincula, quam adesset errati suspicio; ante condemnatur, quam dicat causam: vbi dum accusator pro crimine affert mendacium, reus pro pœna subit iniuriam: vbi tacere periculosum est, respondere criminosum: ex quo ad primā emissam vocē, diuinum vultum, sedem glorię furiali colapho impudentissima dextera ministri percussit. neque aruit. aruit fortasse, sed ad contactum vitæ reuixit: in præmium quod vestigia osculi à proditore impressa deterserit. Vbi denique mortem, non iudicium intentant; ideoque calumniam, non accusationem adornant. Sed ipsa nocendi cupiditate prosunt: nam testes dum multos producunt, nullum habent, *quia testimonia conuenientia non erant*. Perdere per vim apertam nolunt: vt ipsi insanire etiam in iudicio cognoscantur: & Christi supplicium non magis membra dilaceret, quam dilaceret existimationem; quod meruisse, & iusta sententia inflictum esse videatur. Si testes nullos habetis, introducite Petrum. Præstolatur in atrio. eo testis locupletior erit, quo amicior est, munerum, gratiæ princeps: & negando contra Christum affirmat in primis: dum tantum pudere se illius magistri demonstrat; vt iureiurando sibi neque cognitum esse confirmet. ò Petre, hoccine est solum amicum perseuerantem esse? Tu, qui paulo ante deuorabas animo carcerem, crucem, mortem, prosecutus es ad deferendum: vt quo fueras audacior; eo esses cęteris Apostolis nocentior: vt apud eminentiam illius confidentiæ huius pauoris recessus atrior appareret. Sed *Dominus respexit Petrum, & fleuit amare*. Icta Petra adamantinis Christi oculis guttas emittit non scintillas. Conglaciauerat miser. idcirco caloris eger ad ignem illum perperam se calefaciebat is, cui radijs diui[n]

opus

Pli. l. 2. cap. 63.

A Maria[no] insigni poeta per velle ad verbum non prope trās latum in madri gale Italicum.

opus erat,ut liquaret concretum timiditatis gelu cor, funderét ex oculis amarum imbrem, ac timoris vulnera lachrymis, non infidelitate sanaret. Fuit igitur Christus dimittendus ad Pilatum, apud quem legum inanem, ambitionis plenum, magistratus Iudęorum factus de iudice accusator, de accusatore testis, minore periculo, auctoritate maiore, more suo, non causæ cognitionem exposcat, sed crucem: de supplicio prius agat, quàm de scelere; reum, & reum tacentem, non crimine, sed mulitudine; non testimonijs, sed clamoribus opprimat. Quid miraris? quid quæris aliam defensionem, Pręses, ab eo, qui condemnationem habet in voto: supplicia numerat in beneficijs: qui iniuria eo se indigniorem ostendit, quo illam animo æquiore sustinet: pro quo declamat ipsum silentium,& probat innocentem tibi ipsi,ut Caiphæ, vt Herodi probauit. Ergo fuit tribus in foris innocentia Christi cognoscenda, vt tribus sententijs absolutus ferret supplicium? An potius vt sententijs illis, iudicum iniquitas condemnaretur: illis supplicijs peruersitas sinagogæ plecteretur? ipse Pilatus ter verbo Christum pronunciat innocentem, ac triplici facto eripere conatur ab iniuria. vt iustum ex vnguibus ferarum subducat, seditiosum supponit, imbutum sanguine, homicidam,& populo sitienti cruoris, cruorem propinat. sed ij, quemadmodum opresserunt innocentem, ita scelestum absoluunt: vt omnes iniustitiæ partes impleāt. quia puri sanguinis effusione delectantur, Barabbam liberant,Christo obstrepunt,vt qui sceleratis par futurus erat in supplicio, ijsdem inferior esset in iudicio. Quare Præses, vt sanet liuorem Iudæorum, vt mittatur ab ijs sanguis inuidiæ, Christo iubet aperiri venas, iustique quia iustus est. mandat hauriri cruorem, vt non hauriatur animns, vt vita seruetur. Loco igitur criminis eluenda sanguine est innocentia. O scelus execrabile! nudatur Deus,nuda cospiciuntur membra illa candida, atque virginea. rubet sola pudore facies. Tunc sol in sui conditoris obsequium subducta luce velasset illum opinor tenebris; nisi ad nouū spectaculum defixus in admiratione tam venerandi,atq; diuini corporis constitisset. quæ vox, quæ lachrymę, qui sensus æquare poterit lictorum sæuitiam, furorem, rabiem: calamitosi rei tolerantiam, æquanimitatem, mansuetudinem: plagarum dolorem, numerum, cruciatum? iam nusquam apparet liuor, nusquam flagelli vestigium: vbique sanguis, vbique vulnera. nec iam vulnera ipsa dinumeres: quantus quantus est, vulnus vnum est. deficit plagis locus, plagę non deficiunt: est plaga plagæ locus.

deficiunt

deficiunt lora, virgæ, flagella, tortoribus vires non deficiunt. iam & vires deficiunt, non deficit rabies. vtq; fecit initium tundendi crudelitas; sic facit finē crudelitas. persuadet enim vt aliquid sanguinis, atque spiritus relinquatur ad mortem atrociorem. itaque crudeles in verberando, in parcendo crudeliores, non parcunt, vt cessent; sed cessant, vt ad crucem immanem reseruent. si tamen illa cessatio dicenda est, in qua mutato potius, quam intermisso cruciatu; reum contumelijs acerbissimis dilacerant. in qua, vt cæteris, prætermissis, palmare unum attingam; diuinum illud caput, gymnasium sapiētię, regia honoris, honos glorię, omnibus infulis, thiaris, coronis augustius; illud inquam, ad ludibrium dicam, an ad cruciatum, an ad vtrumque? spinea corona præcingitur, atque transfoditur. Dicebam P. B. hunc Virum esse dolorum. iam verò si intendimus in eū oculos, non tantū virū; virū per excellentiam, principem dolorū sed vere dolorum regem esse cernemus: Rex dicitur a Pilato. appellatus est à cohorte prætoria, quam audiuimus dicentem. *Aue Rex Iudæorum.* sedet in purpura, in sceptro, in corona. hæc omnia regem significant. sed qualem regem? regem dolorum. Ludicra illa, & sordida purpura, arundineum sceptrum, salutationes, appellationes, in irrisionem fuerunt, atq; contemptum: corona vero, si pro varietate materię aurea, graminea, laurea, principatum quendam opum, virtutis, fortitudinis indicat; per spineam certè regem significabimus dolorum principem: & Rex dolorum non nisi spinea corona præcingendus fuisse iudicabitur. Perspexit Pilatus hoc regnum calamitatis affabre effictum esse, atque expressum manibus carnificum in Christi corpore: speráuitque fore, vt satisfaceret oculis Iudæorum huiusmodi cælaturę cupidis, ac peritis: quibus illum in bono lumine de superiore loco dedit in cōspectum dicens. *Ecce Rex vester*: *Ecce Homo.* quasi vereatur, ne non agnoscant; ne simulacrum, vel hominem exanimem, aut spirans cadauer existimēt. sed non placuit. nam immanissimis immaniores, ne victi scientiæ crudelitatis, feritatis artificio videantur, desiderant aliquid, addūt aliquid de suo. *Crucifige, Crucifige eum.* O flagrans, & penitus insitum odium, ad quod inanis erit aqua. cum nihil sit alluuione tanti sanguinis imminutum; restingui nisi diuino spiritu in illud efflato non poterit. quid facit in tanto malo religiosus iudex, qui nefas ducit palmis immundis committere parricidium? manus lauat & occidit: dum iustum fatetur, & condemnat. *sciebat, quod per inuidiam tradidissent eum*: sed dum actor iudici timorem incutit; iudex Cæsaris gratiam ambit; circumuenitur Deus in eo iudicio, in quo palam accusat inuidia, testificatur odium, crimen est innocentia

corrumpit

corrũpit timor,condemnat ambitio, plectit crudelitas. Illa, illa, statim vt Pilatus Cristum affigendum cruci. quid dicam? tradidit, an duxit? nihil enim abest à scelere is, cuius tantummodo manus abest. illa, inquam, statim semiuiuo,qui iam sibi ipse pondus erat, imposuit immanem patibuli machinam, vt suam ipse mortem prius ferret,quam inferretur: & qua cruce mox erat extollendus, eadem prius opprimeretur. Hic ego in hoc extremo actu, & quasi capite actionis,quando dignius pertractari, quam deficiendo, non potest, libenter deficiam, sacros Euangelistas imitatus, qui summam rei tanta breuitate perstrinxerunt; quanta sat erat ad non reticendum. duplici verbo. *Crucifixerunt eum.* Quare non perpendam crucis atrocitatem, adiunctorum acerbitatem, renouatos imbres sanguinis, consortium latronum, conspectum matris, voces plenissimas mysterij, multiplicem crudelitatem militum, qui non tantum in ira, sed etiam in obsequijs hostes, eo loco,eo tempore, ad sitim ardentissimam acetum, atq; fel adhibuerunt: vt intelligeremus,quo pro grederentur in sæuiendo ij, quorum misericordia est summa crudelitas. In tanto agmine dolorum Christus Deus desunctus Patris im perio, nostræ salutis cupidus, prodigus suę inclinato capite. O virum egentissimum, qui diu quęsiuit, vbi caput suum reclinet, neque inuenit locum molliorem ad quietem, quàm mortem. in eius igitur gremio *inclinato capite tradidit spiritum*. O Angeli pacis, moritur Deus? moritur Deus. non vox, non latera, nullum sententiarum, verborumq; genus sustinere huius argumenti dignitatem possunt. opus silentio,mentis contemplatione, excessu. quid ergo afferam? nihil præterea. moritur Deus, & moritur propter hominem. intelligentia vestra perpendite,quàm multa duplici verbo cõplectar, cum dico, mori Deum, & mori propter hominem. addam aliquid,si ita loqui fas est, admirabilius. Iesus Deus,in cuius nomine habitat salus, qui profuit plus vnus omnibus, quam omnes vnquã vni;qui nostram non modo causam, vt sponsor;nõ modo personam, vt reus; sed vicariam quoq; mortem suscepit, vt nocens, occiditur propter hominem, & per hominem viuit auctor parricidij peccatum. O hominem non hominem, sed cordis plumbei, & animi ingratissimi monstrum. obstupuit mens perstricta magnitudine facti, an aures assidua commemoratione obduruerunt? tradidit spiritum Deus inclinato capite: vt eo tandem animaret iacentiũ terrarum orbem emortuum, atq; depositum: vt quoniam statuerat nihil sibi reliquum facere, quod pro mortalibus non exponeret,ceruice in latus deflexa, secretum locum indicaret,ex quo ad primum quasi certum, destinatumq; ictum exiuit sanguis, & aqua: simul ac

ferina

ferina rabie vnus militum lancea latus illud aperuit: cum enim tũ Christi caritas, tum rabies inimicorũ amplior esset, quàm vt eas capere posset corporis viuentis imbecillitas; effundenda vtraq; fuit in cadauer: ex quo hinc Christus exaggeratam quandam patiendi cupiditatem ostendit; nam suscepit vulnera doloris, etiam cum dolorem vulnerum sentire non posset: hinc illi rabiem declararunt inauditam, dum effusa sæuitia in eum, in quo neque sæuitiæ locus, neq; sensus esset; sine fructu crudelitatis gustum crudelitatis habuerunt. Expalluit, contremuit, ac prope defecit natura ad huius carnificinæ conspectum. lacerauit iam superuacaneum velum templi, quando turpiter velatam faciem templi viderat, quando tẽpli corpus nudatum, atque discissum conspiciebat. maius obsequium in cadaueribus inuentura, quàm in viuentibus, mortuos exciuit è tumulis, vt obuiam Deo morienti procederent. obduxit soli tenebras, vt parricidis ipso cœlo, ipso conspectu lucis interdiceret. oppressisset coniectione saxorum, iam se sponte frangentium, & agitantium in vindictam, vel obruisset terræ se commouentis, neque hos homicidas ferentis hiatu: nisi vocem illam extremam audiuisset, qua Christus malis hominum grauius affectus, quàm suis prope testamento cauit, vt ignosceretur. Iam vero, ò vir, ò Rex dolorum, de regno tuo dubitatio nulla relinquitur. Regnas in regia Caluarij, in throno crucis, in purpura tui sanguinis, cum sceptro clauorum, cum corona spinea, ipsumq; regni titulum præfers. *Rex Iudæorum*, idest Rex ciuium iniustissimorum, idest Rex hostium immanissimorum. circunfluunt loco asseclarum accusatores, loco satellitũ latrones, loco cohortis carnifices. isthic, illthic. tãquã in tuo regno, in omni regia pompa, regioq; apparatu triumphas. habes pro bellarijs fel, pro odoribus fœtorem, pro festis ignibus tenebras, pro symphonia blasphemias, pro choreis terræmotum, pro peristromatis, sparsisue floribus ossa cadauerum, pro bulla pendente è monili, plagam luculentam pectoris. Tale regnum, talem regem decebat esse dolosum. Vtinam intelligamus, quales nos deceat esse sub tali Rege, in tali Regno.

LAVS DEO.

